



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,  
in visitationem Saxoniam**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1564**

De quatuor visitatoribus, cap. 2.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35803**

quantum & bonum perdidimus, & malum  
procurauimus, dum ingenium illud vehemens  
non cohibuimus, intra obedientiæ frena, sed  
laxantes superbiæ habenas permisimus illud  
ita præceps sursum ac deorsum ruere, atque  
in cœlum os ponere, & expuere, vt iusto Dei  
iudicio non sine magno totius Germaniæ malo  
traditum sit, à Deo in reprobum sensum, vt  
ab omni stabilitate veritatis, & virtutis  
profus exciderit, proprioque iudicio seipsum  
condēnarit quam sæpius, neque sibi ipsi, ne-  
que aliis vsquã stabili tenore rectè cōsentiens.

## De quatuor visitatoribus.

### C A P. II.

#### VISITATOR.

*In lib. Visi-  
ta. Saxonica.* **C**ommisit itaque (Illustriss. Princeps) hoc  
visitandi munus quatuor Personis, nem-  
pe strenuo ac inclyto Domino Iohanni No-  
bili de Plaunitz, Equiti aurato, Clariss. ac Do-  
ctiss. Domino Hieronymo Schurffio Iurium  
Doctori, Strenuo ac inclyto Erasmo de Hau-  
bitz, Et Præstabili Domino Philippo Melan-  
thoni Magistro. Faxit Deus, vt foelix exem-  
plum sit, & fiat cunctis aliis Principibus Ger-  
manis salubriter imitandum: Quod & Christus  
tandem largiter retribuet. Amen. L V T. Pru-

denter nimirū egit Princeps: Nam & ego ante *In lib. ad Nobilitatē Germaniæ.*  
 annos octo, aliquot articulos pro reformanda  
 Repub. Christiana nobilitati Germanicæ na-  
 tionis proposui, si Deus velit saltem per laica-  
 lem statum Ecclesiæ suæ præbere auxilium.  
 Quandoquidem status Ecclesiasticus, cui iu-  
 stius id competerit, omnino negligens existit.  
 S V E R. Tam citò illius oblitus es Luthere? *Contra epi-  
 stolam Regis  
 Angliæ.*  
 Quod nuper in Epistolam Regis Angliæ con-  
 tra Aulicos scripsisti? Quid ego (inquis) fumo-  
 sus cinerarius in aulis Regum ac Principum  
 quærito? Vbi tamen scio Diabolum supremo  
 residere loco, summumque ibi eius esse thro-  
 num. Christū ne igitur apud Diabolum inue-  
 nias? aut Diabolum contra voluntatem suam  
 probum reddas? Vide ne eandem hîc, quam  
 illic, accipiat mercedem. M A R. Ego doctri- *In Resolu-  
 Conclu. 7.*  
 nam meam, Aulicis aut Iuristis non facilè sub-  
 miserim. Iuristæ enim dum nimio studio extol-  
 lūt potestatem Papæ, plus fecerunt æstimari  
 & mirari potestatem Papæ, quàm verbum  
 Christi honorari fide: cū docēdi sint homi-  
 nes, vt non in potestatē Papæ, sed in verbum  
 Christi, Papæ promittentis, confidere dis-  
 cant. D O C T. Mihi quoque Iuristarum siue *De. 10. præ-  
 ceptis, cap. 8.*  
 iudicium, siue testimonium, meritò suspectum  
 est, non solum rebus Theologicis, verū etiam  
 in ipsa rerum forensium Labyrintho, vbi nihil  
 aliud quærunt quàm victoriam, & nouo mira-  
 culo vnus & idem textus seruit contrariis cau-  
 sis. Cū igitur scriptura sancta velit in timore

DE QUATVOR VISITATOR.

& humilitate tractari, & magis studio piæ orationis penetrari, quàm acumine ingenij, impossibile est, quòd sine dāno sint, vel suo proprio, vel alienorum, quos docent, qui nudo ingenio freti, in eam irruūt illotis pedibus, sicut porci. S V E R. Ego autem hunc de cætero honore neque iis, neque aliis, vel hominibus, vel angelis exhibebo, vt subiiciā me eis, iudicandam, vel examinandam doctrinam meā. Stultè enim isti humilitati iam satis factum, cum me tertio, demum subiecerim Vuormaciæ, neque tamen profecerim quicquam. E C C L E. Si vel ipse princeps, vel ij quatuor visitatores me in consilium accersissent, sic vtique dixissem: Fides neque capta, neque ligata vult esse, neque per ordinationem vllam ad opus aliquod determinari. Sciatis hoc, quia non perducetis ad finem, hoc ego scio: Accipite autem exemplum de me. Ego quidem indulgentiis omnibusque Papistis contrarius fui, sed nulla vi solùm vsus sum verbo Dei prædicando & scribendo, aliud nihil egi. Hoc autem, dum ego vel dormirem, vel V vittembergensem cereuisiam cum meo Philippo & Amsdorffio biberem, tantùm effecit, vt Papatus ita debilis fit per me redditus, vt nullus adhuc, aut princeps, aut Cæsar, ei tantum intulerit detrimenti. B A R R. Si ego Papam, qui omniū Regum, Principum, Vniuersitatū, ac Ecclesiarum vult esse Magister: non reueritus sum, meamque doctrinam non solùm de cælo consequutus

*In lib. cōtra  
statū Eccle.*

*In 500. art.  
art. 367. &  
seq.  
In Serm. fe-  
ria 2. post  
inuocauit.*

*In lib. cōtra  
Regem An-  
glia.*

sum, sed etiam defendi eam ab eo, qui plus potest, vel in minimo digito, quàm possent mille Papæ, Reges, Principes, & doctores: Quomodo nunc submittam eam istis visitatoribus, Aulicis & Iuristis? Oportet eam perpetuò manere, velint, nolint: Trotz eis. D O C. Quamuis negotium hoc neque ad Aulicos spectet, neq; ad Iuristas, sed magis ad Ecclesiam, quæ errare non potest, nimis tamè superbè iactitas te ipsum, ô Barraba, qui sic omnes contemnis, tibi soli credens. Scriptum est enim, Stultus est, qui confidit in corde suo. Quilibet enim potest in sua deuotione errare, cùm & multi Prophetæ, sanctique Reges, similiter errauerint, nobis in monitione & terrorè. B A R R. Esto ita, bone doctor, quòd errem, neque tamen Principibus, neque Aulicis & Iuristis in Christi negotio, fideique & conscientie causa credere tutò possem. Nam Cæsar, Reges, &

*De. 10. præceptis, cap. 30.*

*In epistola ad Duces Saxonie.*

*In primo lib. contra rusticos.*

DE QUATVOR VISITATOR.

*In lib. cōtra  
susti.*

ergo boni in rebus diuinis vel decernant vel  
constituant eiusmodi Tyranni tam impij ac  
prophani? An ignoras adhuc cūm toties ego  
scripserim, duplex esse regnū, aliud Dei, aliud  
mundi? Principes, qui gladium portant, non ad  
regnū Dei, in quo nihil aliud est nisi remitte-  
re, parcere, amare, ministrare, bene facere: sed  
ad regnum mundi pertinēt, quod est regnum  
iræ & seueritatis: idcirco & gladium portant,  
& Princeps vocatur virga furoris Dei in scri-  
pturis. Esaïæ 10. Minister item iræ diuinæ in  
malos, vt regnum mundi nihil aliud sit quàm  
præcursor quidam inferni, mortisque æternæ.  
Qua igitur fronte præsumant Principes cum  
Aulicis & Iuristis suis Euāgelicam doctrinam,  
quæ vtique ad regnum Dei pertinet, visitādo  
examinare ac iudicare? S V E R. Nunquid  
Aulicis aut Iuristis de verbo Dei plus creden-  
dum est, quàm nobis, qui Theologi ac Euan-  
gelistæ, atque etiam Apostoli Germaniæ, &  
dicimur & sumus? Certe nisi tu scripsisses pri-  
mūm, Luthere, teneriores illi filioli, fraterculi,  
aureique amiculi mei, seditiosi, vagi ac tumul-  
tuosi spiritus, neque de Christo, neque de E-  
uangelio aliquid præclari sciuisent, atque per  
suam scientiam, ex Tyrannide Pape, in talem  
libertatem lucēmque se difficulter asseruis-  
sent. L V L. Verum dicis Suermere. Steti e-  
nim Lypsix ad disputandum coram pericu-  
losissima communitate, Augustæ coram sum-  
mo hoste meo, absque saluo conductu com-

*In lib. cōtra  
statū Eccle.  
Cōtra episto-  
lam Regis  
Angliæ.  
In epistola  
ad Duces  
Saxonie.*

parui. Vuormaciæ, coràm Cæsare, ac toto imperio steti, quamuis prius sciuissem, violatam esse mihi fidem publicam, variâsque in me ac mirabiles practicas, & artes intétari. Scio item & sum certus, Dei gratia, quòd in scripturis doctior sum omnibus, & Sophistis, & Papistis. E C C L E. Sed & ego Vuittemberg, in publica concione ad populum dixi. Imitamini me, chari fratres, nūquã enim rem malè egi. Fui item primus, quem Deus in hunc campum posuit. Is quoque fui, cui Deus hoc primum reuelauit, ad prædicandum vobis eiusmodi verba. Nescio igitur, qua de causa præterierit, me hoc in negotio Princeps. B A R R. Si quid valeret eiusmodi iactantia, ego sæpissimè dixi, me de doctrina mea certum esse, eamque non meam, sed Dei esse, neque ab homine, sed de cœlo me illam habere. Sed & comminationes aliquãdo adieci, quòd nemo me triumphare possit, rectumque permanere oporteat, quicquid docuerim ac scripserim ego, etiam si totus mundus per hoc in ruinam abire debeat. Quod si proteruè contra me agere vulerint, ego quoque proteruè agam, ac videbo, vtra pars tandem obtinuerit. Quinimò prouocaui alicubi, non solùm omnes Papistas in vnum, sed & Diabolos omnes simul cum vniuersis tumultuosis. Iam omnes in vnum (inquo) sicut in vnum estis, & in vnum pertinetis, Diaboli, Papistæ, Tumultuosi, in vnum cumulum acriter aduersus Lutherum. Vos

*In 500. art.*

*art. 355. &*

*seq.*

*In Sermo.*

*Dominica*

*Inuocauit.*

*In lib. cōtra*

*Regem Ang.*

*& cōtra statum Eccle.*

*lib. 3. contra*

*rust. in fine.*

*In cap. Ba-*

*bylo. contra*

*epistolã Re-*

*gis Ang.*

DE QUATVOR VISITATOR.

Papistæ ab anteriori parte: Vos tumultuosi à posteriore, vos Diaboli ab omni parte, incitate, venamini, exagitate alacriter: Veram habetis feram ante vos, iacente Luthero, salui estis, & victoriam obtinuistis. **D O C T.** At huiusmodi iactantia impudensque philautia meritò vos, & Deo, & hominibus reddit inuisos: Nam abyssalis ista superbia non sustinet, mala aut stulta reputari, quæ sua sunt. Ob id cæteros omnes pro stultis & malis habet: Videte ergo quàm profundè diuini nominis vituperatio in huiusmodi spiritibus delitescit, qui prorsus hoc ipsum esse & dici volunt, quod Deus est. **M A R.** Et ego longè maiorem nactus sum, tum fauorem, tum existimationem per verba humilitatis, quàm vos per ista superbix tonitrua: Gratissimè enim legebatur istud à principio. Ego nunc infelicitè in publicum prodeò, qui semper anguli amator fui, & ipse eligens spectare pulcherrimum nostro sæculo ingeniorum ludù, magis quàm spectari & rideri. Item, inuitus venio in publicum, periculosissimùmque ac varium hominum iudiciù, præsertim ego indoctus, stupidus ingenio, vacuus eruditione, &c. **L V T.** Qualecunq; de nobis sit iudicium, alij certe quàm aulici & Iuristæ fuerat eligendi. Iuxta exèpla tum noui, tum veteris Testamenti, à Visitatore, in principio adducta, Vbi omnes, qui circumierunt ac visitarunt, diuinis literis nobiliter erant instructi, vitæque exemplo & verbi ministerio præclari.

**C O C L Æ V S.**

*De decem  
preceptis,  
cap 5.  
De Oratione  
Dominica.*

*In resol. in 1.  
et 2. epistola.*

*In lib. Visit.  
na. Saxonica.*



DE QUATVOR VISITATOR.  
COCLÆVS. 9

Ex his intelligis, Illustriss. Principes, quàm nullius sit, vel iuris, vel authoritatis, quàm nullius item aut gratiæ aut fructus istud visitationis novæ institutum. Novæ inquam, quæ prorsus nullis retro exemplis vel comprobari vel excusari queat: Nec mirū sanè, quia nulla pietatis ratio, nulla Iuris authoritas, nulla cōsuetudinis prescriptio, eam vel commendare, vel defendere potest. Certe ius diuinum refragatur ei vbiq̃ue. Deut. 17. 1. Reg. 15. 2. Paral. 26. Ezech. 33. & 34. Matt. 18. & 22. Ioan. 10. & 21. Act. 6. & 15. & 20. 1. Timo. 5. Heb. 13. &c. Vnde intelligere licet, curam sacrorum, legisq; diuinæ questiones, non ad Aulicos aut seculares Principes, sed ad sacerdotes pertinere. Non ignoras, credo, quid eiusmodi temeritas vsurpandorum sacrorum profuerit. C C L. viris Numer. 16. Quid Ozæ. 2. Reg. 6. Quid Ozia Regi. 2. Paral. 26. Quid aliis alibi. Et palam est, iureque gentiū sacra non ad Aulicos, sed ad sacerdotes referri, id quod visitatores tuos, Aulicos istos, Iuristas & Poëtas, minime latere arbitror, qui non solum ex Romanorum, Græcorum ac Hebræorum legibus & historiis, verum etiam ex antiquissimis Aethiopicis, Aegyptiorum, Indorum, Chaldæorum,

DE QUATVOR VISITATOR.

Celtarum, Scytharum atque etiam Germano-  
rum institutis, sciunt id negotij, non ad prophana  
nos, sed ad sacerdotes attinere. Quicumque igitur  
ex animo bene volunt honori commodoque  
ac saluti, & tuæ, & subiectorum tibi popu-  
lorum consultum, ij, nouum huc morem de cæ-  
tero nunquam suadebunt, cum sit contra legem  
diuinã (vt dixi) contra omne ius Canonicum,  
cõtra leges Imperiales, cõtra ius gentium. De-  
nique contra ius naturale, omnemque cõsuetu-  
dinem. Si enim ferre non velis, vt Episcopi ac  
presbyteri in secularibus negotiis tibi subditis-  
que tuis, vel iura præscribant, vel visitationẽ  
intentet. Quo (rogo) iure tu Episcopalia in sa-  
cerdotes, Ecclesiãque & sacrorum ordinẽ mu-  
nia vel vsurpes tibi, vel aliis laicis cõmittas?  
Cur non commisisti Luthero Papæ Saxonico,  
aut saltem Pomerano illi Episcopo Vuittem-  
bergensi? Cur preteristi cæteros quoque Theolo-  
gos? Nobis enim ludibrio facis eorum Euan-  
gelium, in quo laicos, omiſſis Theologis, exami-  
natores constituis, qui diiudicent, quid ex eo  
recipiendum, quid reiiciendum sit. Rectius ergo  
feceris posthac si sacra Episcopis & presby-  
teris, prophana verò presidibus, & præfectis  
in terris tuis curanda committas. Vt iuxta  
Verbum Domini, reddas quæ Cæsaris sunt,

*Cæsari : & quæ Dei , Deo : vnicuique quod suum est , vti iustum Principem rectè de-  
cet.*

## De modo visitationis.

### CAP. III.

#### VISITATOR.

**Q**Uamquã vero ista non velut rigida præcepta euulgare possumus, ne nouas Decretales Papales erigamus, sed velut historiam aut rem gestã, atque etiam velut testimonium confessionemque fidei nostræ : Speramus tamen, omnes bonos ac pacificos parochos, quibus Euangeliũ serio placet, ac delectabile est, vnanimiter ac similiter nobiscũ acturos, sicut facere nos docet Paulus Philip. 2. Vt sese visitationi huic subiiciant, eãque nobiscum pacificè obseruent, donec Deus spiritus sanctus aliquid melius vel per ipsos, vel per nos incipiat. **S V E R.** Quid híc audio? Aut verbum Dei proponitis, & hoc vtique manet in æternum: Aut aliquid docetis, & eritis nobis Anathema, non minus, q̃ Papistę. Verus enim cultus Dei ex verbo ipsius discitur: Quicquid autẽ preter & extra verbũ Dei erigitur, veluti per adinuentiones humanas, non Dei, sed Herodis hypocriticus cultus est certissimè. **L V T.** An verò præcepta non sint, Visitator, ad quorum obseruantiam comminaciter compellit alios, imploraturi Principis opem contra dif-

*In li. Visit.  
Saxonia.*

*In libello;  
De differenti-  
a inter ve-  
rum & fal-  
sum cultum  
Dei.*

*In li. Visit.  
In commen-  
ta. super  
psal.*